



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 3. Vtrum ex indebita ordinatione fiat quis irregularis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



Dico Secundò: Si quis de huiusmodi crimine sit condemnatus per sententiam, dispensare potest Episcopus in infamiâ Iuris contractâ per illam sententiam; vt colligitur ex Capit. *At si clericus*; de Iudicijs.

Dico Tertio: In irregularitate, quæ oritur ex crimine enormi, habente annexam per se infamiâ Iuris, non potest Episcopus dispensare. Talis est ea, quæ oritur ex Hæresi, Apostasia, Sodomia, & similibus. Vide Couarr. lib. 3. Variarum. cap. 3. num. 3.

CAPVT VI.

De Irregularitate ex delicto circa Sacramenta.

DVBIVM I.

Vtrum repetens Sacramentum, quod imprimis characterem, sit irregularis?

R Espondeo & Dico Primò: Qui sciens bis baptizatur, aut eundem absolute bis baptizatur, ex communi sententia censetur irregularis. Dico, *Absolute*, quia qui sub conditione tacitâ vel expressâ rebaptizatur, vel rebaptizatur, non sit irregularis: sicut nec is, qui sub conditione contrahit cum consanguineâ, est excommunicatus excommunicatione latâ contra incestus nuptias. Ratio est, quia rebaptizare sub conditione, non est simpliciter rebaptizare, contra quod tantum pena est statuta.

Aduerte tamen, non esse improbableem, eum qui rebaptizatur, non fieri irregularè, quia in Iure non est expressum nisi de eo qui rebaptizatur, & de Acolyto ministrante Sacerdoti rebaptizanti: vt dictum est de Baptismo q. 66. art. 9. dub. 1. Vide Capit. 2. *De Apostatis*.

Dico Secundò: Bis Confirmatus, vel bis eundem Confirmans; bis Ordinatus eodem Ordine, vel Ordinans; & bis consecrans eandem hostiam, non sunt irregulares, quidquid dicat Nauarrus, & quidam alij. Ratio est, quia nõ est Iure expressum. Doctores autem non possunt inducere irregularitates, argumẽtando à simili, vel pari, vel à maiori.

DVBIVM II.

Quinam ex indebitâ receptione, vel usu Ordinum sunt irregulares?

Dico Primò: Clericus vtens Ordine, quem non habet, nõ sit irregularis, nisi vtatur Ordine sacro in Baptismo solenni, id est, adhibitis cæremonijs baptismi; vel in officio diuino, scilicet celebrâdo Sacrum; cum non sit Sacerdos canõdo Epistolam tanquam Subdiaconus cum manipulo; Euangelium tanquam Diaconus cû stolâ: itẽ benedicens aquam, templum, calicem &c. cum Ordine illo careat. Patet ex Cap. 1. *de Clerico non ordinato ministrante*. Non tamen sit irregularis, si absoluat à peccatis, tametsi Sacerdos non sit. Ratio est, quia absoluerẽ à peccatis, non est exercere officij Diuini. Vide Siluestrum, *Verbo Confessor* 1. in principio, & Franciscum Victoria q. 143.

Dico Secundò: Laicus non sit irregularis, etiamsi baptizet solemniter, vel simulet se vti Ordine sacro in officio Diuino. Est cõtra Nauarrum

& multos alios. Patet, quia Ius non loquitur, nisi de clerico, vt apparet ex titulo, qui sic habet: *de Clerico non ordinato ministrante*. Canones enim, qui titulo subiiciuntur, intelligendi sunt prout postulat titulus.

Dico Tertio: Exercentis actum Ordinis sacri quem habet, si ligatus sit censurâ excommunicationis, suspensionis ab Ordine sacro, vel interdicti, efficitur irregularis. Est communis sententia. Excusat tamen Primò, ignorantia sui vinculi, si non sit crassa. Secundò, excusat necessitas; vt si Parochus celebret ad vitandâ infamiã vel scandalum, quamuis sit excommunicatus; vel si ministrèt subito petenti Sacramenta, si alium non habeat, quem substituat. Ratio est, quia his modis nihil temerè præsumit, imò nec peccat. Pari modo non contrahit irregularitatem, si baptizet, Epistolam vel Euangelium canat sine solemnitate; id est, sine manipulo & stolâ; quia non censetur exercere actum Ordinis sacri.

Dico Quarto: Qui ligatus censurâ excommunicationis recipit Ordinem, præsertim sacrum, sit irregularis. Est communis, ex Capitulo *Cum illorum*, de Sententia excommunicationis. Vtrum verò, si Minores recipiat, fiat irregularis, est dubium. Plerique putant esse irregularem; quia Canon generaliter loquitur de Ordine ecclesiastico. Sed contrarium non est improbableem: quia cum Canones de Ordinibus ecclesiasticis loquuntur, sæpè tantummodò sacros intelligunt; vt videre est in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. *De reformatione*.

Dico Quintò: Qui in suspensione recipit Ordinem sacrum, non videtur fieri irregularis: quia Iure non est expressum. Est contra Nauarrum. Ratio esse potest, quia suspensio est directè ab exercitio Ordinis suscepti, & solùm ex decentiã impedit susceptionem noui. Idem probabile est, si quis in interdicto constitutus ordinetur: quia Iure non inuenitur expressum.

DVBIVM III.

Vtrum ex indebitâ Ordinatione fiat quis irregularis?

Dico Primò: Ordinatus ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto denuntiato, vel ab eo qui est notorius Clerici percussor, vel ab eo qui absolute renuntiã dignitatis Episcopali, est irregularis. Ita Nauarrus num. 241. & alij. Excusatur tamen, qui vi vel metu graui sic ordinatur; quia tunc cessant leges Ecclesiæ poenales. Item, excusatur, qui ignorat Episcopi impedimentum; modò ea ignorantia non sit crassa. Nam irregularitas posita in poenam, nõ incurritur, nisi ob culpam mortiferam.

Dico Secundò: Ordinatus ab alieno Episcopo sine licentiã proprij, non est irregularis; sed ipso factò suspensus, quamdiu proprio Episcopo videbitur. Ita Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 8. Ante Cõcilium solùm erat suspendendus. Nam Bulla Pij II. per quam ipso factò suspendebatur, passim omnibus erat ignota. Vide Nauarrum cap. 25. num. 70. & Couarr. 2. parte §. 1. num. 4.

Dico Tertio: Ordinatus ante legitimam ætatem, aut extra tempora à Iure statuta, non est irregularis.

41  
Absolutè  
bis bapti-  
zans aut  
bis bapti-  
zatus.

Bis confir-  
matus, or-  
dinatus &c.

42  
Si Clericus  
vtatur or-  
dine sacro,  
quem  
non habet.

Si absoluat  
cum non sit  
Sacerdos.

43  
Si id faciat  
Laicus.

44  
Si ligatus  
censurâ,  
exercet  
actum Or-  
dinis sacri.

45  
Si in exco-  
municatio-  
ne recipiat  
Ordinem.

46  
Si in sus-  
pensione  
cos recipiat

47  
Si ordina-  
tus ab epis-  
copo liga-  
to censurâ

48  
Si ordina-  
tus ab  
alieno.

49